Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 213

Quelle:
Copyright:

psalmorum per eum lectorum et cum hoc 19. psalmos primos. Praemittit etiam: *Istum librum dedit Magister haynricus de oyta Sacre scripture doctor. Cui retribuat deus premium eternum. Amen.* Tabula incipit: *Beatus uir qui non. Notandum quod adam triplici genere peccandi deliquit* &c. continet graviora momenta in ipsa Lectura deinceps discutienda, sed non pertingit ultra *Psalmum* XLIX. Succedit prolixum Prooemium *fol.* 17. hujus initii: *Exurge psalterium. Ps. 56. et 107. Re. p. et Domini. Quia scriptura libri psalmorum seu ipsum psalterium plus ceteris in ecclesiasticis officiis frequentatur, oportet ut ad ejus intelligentiam capessendam cuiuslibet ecclesiastici viri animus vehementius accendatur* &c. Post haec Προλεγομενα *Ps.* I. expositio sic infit: *Beatus* &c. *Hic primo secundum glossam considerandum est, quare isti psalmo non apponatur titulus* &c. Finitur luculentus Tomus in initio *Ps.* XX. his verbis: *3^tio desiderium ad hoc ordinate passionis — —.* Nec mirum; praeter Textus enim declarationem formantur et solvuntur Dubia e Theologia tam dogmatica, quam morali.

CXL.

U. 578 Codex ejusdem conditionis Folior. 230. continuat praecedentem Lecturam a *Ps.* XX. ad *Ps.* XXXIII. v. 16. et haec verba: *et cum credimus, quia est, et cum videbimus sicut est. Hec augustinus.*

CXLI.

Codex ejusdem conditionis Fo- U. 579
lior. 230. continuat praecedentem a Verbis citatis usque ad *Ps.* XLIII. v. 6. et *Jobi* verba: *et cuiusvis manus pugnet contra me — —.* In medio hoc *Psalmo* adhaesisse Nostrum, vix veri speciem habet; quousque tamen progressus, et an totum *Psalterium* emensus fuerit, qui labor illi IX. certe *Tomos* peperisset, mihi non liquet. Interea, quod supereſt, vastam Viri rerum theologicarum cognitionem commendat, digni sane, qui a *Trithemio* n. 687. *Gymnasii Wienensis unicum decus et complantator a principio* adpelletur. Gente nempe *Friso* cum *Henrico de Hassia Parisiis* evocatus anno 1384. strenuum Collegam suum, ut *Viennam*, ita et in tumulum comitatus est a. 1397. ut pluribus in *Scriptt. Univ.* P. I. p. 58.

CXLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 36
ut videtur, XI. Folior. nunc 84. f. min. charactere Langobardico minutiore, sed nitido exaratus, rubricis distinctus et olim *Congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum seuerini et sossii* (Sosii) videlicet *Neapoli* continet *Scholia in Psalterium*, quae tamen a *Psalmo* XLI. ad *Ps.* LXXXIX. excidere, ipso etiam Codice primoribus foliis non parum situ, mucoreque vitiato. Thecae tergo inscriptum est recentiore manu: *Commentaria in*